Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2521
Quelle:
Copyright:

ritatis protectores. Hortor vos &c. Altera inter editas p. 80. numero XVIII. ita orditur: *Honorabiles in christo iheſu amantiſſimi Magiſtri Baccalarii et ſcolares vniuerſitatis Pragen. hortor vos in ipſo piiſſimo iheſu* &c. Nihil abludit *Codex* ab Editis.

XIX. *fol.* 253. Epiſtola ad *Joh. Rokyczanam*, hoc praefamine: *Quidam doctor in concilio baſilienſi ſcribit occulte Magiſtro Johanni Rokyciane qui tunc in concilio tractabat alium* (illum?) *articulum de communione calicis ſacramenti et cuidam doctori* (Joh. de Ragusio O. P.) *in conſpectu Concilii replicabat anno domini M° 433.* Ipſa porro Epiſtola ſic: *Egregie magiſter. mitto vobis certas ymaginaciones meas circa materiam articuli veſtri quas ſaltim ſemel perfunctorie quanto ocius ad finem usque perlegere placeat queſo amore ſangwinis domini quem quaſi mortuum ymo pene ſepultum reſuſcitare ſatagitis.* Nolle ſe docere Virum doctiſſimum, ſed hortari ad viriliter agendum pro veritate, et coercendos Suos, ut crudelitate ſepoſita parcant humano ſanguini. *O felicem diem ſi viderem illeſa fide nobis unitum regnum veſtrum!* Rogat, ut tegat Scripta ſua, nec curet, quis miſerit. *Qualeſcunque ſumus, dei ſumus. Hoc vnum ſcitote quod amator veritatis ſum. — Spero ante diſceſſum veſtrum uos ſaltem ſemel uel bis audiam.* Concludit: *Doleo deus ſcit quod nolumus intelligere ut bene agamus, fateorque graue foret ita ſimpliciter aquieſcere, ſed grauius eſt agnitam veritatem rei tam neceſſarie non ſuſcipere.* Non invenio, quis *Nicodemus* hic fuerit.

XX. *fol.* 253. p. 2. *Iſta eſt propoſicio que in ſcriptis oblata eſt per Magiſtrum Jo. Przibram Sereniſſimo principi domino Sigismundo et dominis Conſulibus in pretorio in Congregacione magna magiſtrorum et tocius cleri, que per ipſum dominum principem et Dominos conſules vlterius oblata eſt Magiſtro petro Anglico dicto payne Quatenus ipſe profiteretur fidem ſuam de venerabili ſacramento eukariſtie coram predictis dominis magiſtrisque et tota congregacione cleri ibidem preſentibus ita dicendo.* Sequuntur igitur *Articuli* VII. Eccleſiae Rom. Cath. de reali Praeſentia Chriſti in Sacramento, adoratione illi debita, Accidentibus ſine Subjecto &c. hoc initio: *Confiteor pura et ſimplici fide, credo et fideli corde ſine omni dolo et ore tenendum et credendum aſſero* &c. Additur in fine: noluiſſe M. *Petrum* vel in dicto Conventu, vel poſtea coram duobus et quatuor datis Arbitris ex hac Formula profiteri, ideoque habendum de malo ſuſpectum, donec pareat Chriſto monenti, *qui me confeſſus fuerit coram hominibus* &c. Haec omnia deinceps lingua *Bohemica* iterantur. Duplex memoratur Noſtri cum *Petro Payne* congreſſus, annis videlicet 1427. et 29. Confer *Adaucti Voigt Act. Liter. Boh. et Morav. Vol.* I. p. 383. et *Cochlaei Hiſt. Huſſit.* L. VI. p. 230.